TRACTATUS
DE
Febribus Intermittentibus
Hiſque comitantibus Epidemicis;
Unà cum
Corticis Peruviani
HISTORIA.
Quibus præmittuntur aliquot
DISSERTATIONES de MORBIS
Qui ad Incurabilium claſſem referuntur,
necnon
De hujuſmodi quorundam curatione.

CUm Author, qui ſupradictum Tractatum editurus eſt, naturam atque cauſas Febrium intermittentium ibidem inveſtigare, varias obſervationes ſive praxi natas Hiſtorias interponere; de Corticis naturâ ac operationis modo, de methodis quibus tum præparandus tum præſcribendus eſt, déque infortuniis nonnullis ex ejus intempeſtiva adminiſtratione prognatis, diſſerere; ac demum præcipuas contra ejus uſum objectiones diluere, decreviſſet: Quæ ab Anno 1653. ad annum 1663. in hoc argumento ſcripta ſunt, ſedulò perlegit ac penſitavit. Eo nimirum tempore & à paucis ante annis Febres intermittentes adeò graſſabantur, ut Malignarum nomen obtinuerint; In quarum curatione, *Cortex Peruvianus* magno cum ſucceſſu in Hiſpania & Romæ primùm, deinde per Europam cœpit exhiberi. Cùm verò Johannes Jacobus Chifletius Medicus Leopoldi Archiducis Primarius Anno 1652. iſtud remedium ad duplicem Quartanam, quâ Archidux tunc temporis infeſtabatur, profligandam uſurpaverat; pro voto, ut aliàs, haud ſuccedens, libellum eo fine conſcripſit ut ejuſdem uſum diffamaret. Cui Honoratus Faber (ſub nomine Antimi Conygii) reſpondit. Contra quem Fortunatus Plempius (nomine Melippi Protimi) acriter ſurrexit. Deinde & Gaudentius Brunatius & præcipuè Rolandus Sturmius & Sebaſtianus Baldus Corticis vindicias contra Plempium & Chifletium ſtrenuè ſuſceperunt. Præ cæteris autem Baldus (qui multa à quodam Bollo Mercatore Peruviano accipiens) de prima Corticis notitia ac utendi modo, necnon de arboris ortu, loco natali, &c. non contemnendam Hiſtoriam reliquit. His accedunt & alii, qui de Cortice pauca, eáque obiter tradiderunt, ſc. Joan. Van-Honte, Jonſtonus, Gaſp. Bravo, Nardius, Wolfgangus Höferus, Williſius, Rolfincius, Schroderus, Grulingius, Bartholinus & Caſpar Kaldera Medicus Hiſpanus; Qui poſtremus de prima hujus remedii notitia, déque arboris nomine ac loco natali luculenter diſſeruit. Hos & quotquot omnes poſtquam Author penitus pervolverat; quæ de hac re ab aliis accepit, quæque ipſe tum meditatus, tum expertus fuerit, in Tractatum tandem diſpoſuit. His autem ideo præmonuit, ut ſi qui ſint è gente Literata, quos penes aliquid eſt, unde hoc opus magis conſummatum videretur, & pro ſua humanitate ad Regiæ Societatis Secretarium tranſmitti curaverint, idem publicandi gratéq; commemorandi locus ſuppediteretur.

Quæritur quo anno Comes de Cinchon (vel Chincon) regimen regni Peruviæ ſuſceperit, quamdiu in illo commoratus, & quo anno in Hiſpaniam reverſus fuerit.

Quæritur etiam num extet Icon Arboris Peruvianæ accuratior illâ quam Tho. Bartholinus ab Hieronymo Bardi tranſmiſſam nobis exhibuit.

Londini, Menſe Februarii 1680.